

Dispp. Thh. Vol. 1.



Oelth 61 Q (1-34)

2
3
4
5
6
7
8
R



DISPUTATIO
EUCCHARISTICA

Continens

UBERIOREM

DECLARATIONEM FVNDAMEN-
TI SECUNDI ORTHODOXÆ SENTEN-
tiæ petiti ex natura communi Sa-
cramentorum.

Quam

Annuente SS. Triade

In inçlytâ Electorali Viadrinâ

SUB

PRÆSIDIO

GREGORII FRANCI

S. S. Theol. D. & P. P.

ejusdemque pro tempore Facultatis

DECANI

ad Lydium veritatis lapidem examinandam

proponit

THOMAS HESIUS

Mariæburgo-Boruffus

ad d. 6. Febr.

ANNO

CHRISTO NATO

M. DC. XXII.

Literis HARTMANNIANIS.

30.

29

u28



Magnificis, Strenuis & Nobilissimis Viris

DN. JOHANNI à BENEKENDORF,
Hæreditario in *Wammin/ Drenow/ Gelpel/ &c.*

Serenissimo Electori Brandenburgico à consiliis intimis, & Regiminis Neomarchici Cancellario eminentissimo.

DN. JOHANNI PRENNERO, V. J. D.
Com. Palat. Cæsar.

Et Illustrissimorum Principum ac Dominorum,

DN. CHRISTIANI & DN. JOACHIMI ERNESTI,
Marchionum Brandenburgicorum, &c. &c.
Consiliario & Legato gravissimo.

Dominis & Macenatibus suis summis.

Insuper

Speciatissimis & Honoratissimis Viris,

DN. ARNOLDO FABRITIO,
civi & mercatori apud Dantiscanos
è primariis.

DN. JOANNI TRUNCIO
Patritio Mariæburgensi, &c.

Dnn. Affini, Avunculo colend.

Theologicam hanc συζήτησιν
Honoris & observantiæ tesseram.

Submisit offert, consecrat

THOMAS HESIUS.

DISPUTATIO XVI.

Continens

Declarationem uberiorem fundamenti secundi Orthodoxæ
sententiæ petiti ex naturâ communi Sacra-
mentorum.

I. Quia locupletioris doctrinæ typum in Instrumento
veteri extare haud est verisimile, quàm qui in ordina-
rio Agni Paschalis Sacramento Israelitis olim exhibebatur,
& jugi solennitate quotannis de mandato Jehovæ repeteba-
tur ac celebrabatur operæ pretium visum est, ei consideratiùs
adhuc, quàm factum est nuper, invigilare, ex eoque tum sen-
tentiæ nostræ communiendæ, tum Adversariorum falsæ re-
futandæ præsidia idonea quærere.

II. Quod consilium eò nunc amplectimur libentius, quod
totam sacramentorum rationem hinc fore illustriorem spe-
remus: præsertim cum in omni doctrinâ ac disciplinâ id per-
petuò receptum sit, ut ad communia quædam capita revo-
centur ea quæ singularia sunt: ita ut secundum plura paucio-
ra exponantur & dijudicentur. Quâ in re Scripturam cum na-
turâ consentientem habemus: utraque enim à communibus
ad singularia descendit, & ab obscuris ad clariora: ut mirum
sit, aliquos reperiri, qui hoc nostrum argumentum, quod ex
συγκρίσις seu comparatione sacramentorum deducimus, non
multum negotij sibi faceffere posse opinantur, contrâ quàm
sentit ac monet Tertullianus contra Praxeam p. 325. *His capi-
tulis, inquit, totum instrumentum utriusq; Testamenti volunt cede-
re, cum oporteat tamen secundum plura intelligi pauciora. Sed pro-
prium hoc est omnium hæreticorum. Nam pauca adversus plura de-
fendunt, & posteriora adversus priora suscipiunt. Regula autem o-
mni rei ab initio constituta in prioribus, & in posteriora, præscribit u-
tiq; & in paucioribus. Asspice itaq; quanta præscribant tibi etiam ante
omnem argumentationem tuam, &c.*

Ac



III. At nostri Antagonistæ: *De cujuslibet, inquit, Sacramenti naturâ ex ejus propriâ institutione judicandum est:* quare vel nihil vel parum cum Sacramentis Veteris Testamenti, nihil cum Baptismo debet nobis esse negotij; quando de Eucharistiâ disputamus. Credo equidem de Homine, v. g. disputanti, naturam ejus propriam contemplandam esse: id tamen cum agit, non communia omittenda sunt, aut *animalis, corporis vivi, substantiæ, &c.* ratio negligenda est: sine quibus in explicatione & investigatione naturæ hominis omninò infeliciter versabitur, imò & perperam aget, qui de HOMINE statuet: quod communi ejus, quâ cum reliquis convenit animantibus, naturæ adversetur.

IV. Sic infelices pariter atque inepti sunt, qui in Eucharistico negotio ita occupantur: ut generalia doctrinæ capita, quæ ex inductione singulorum hausta atque expressa sunt, multis modis collidant atque subvertant, nihilque ferè aliud obtinent, quàm *ex propriis judicandum esse.* Malunt scilicet tales *multa malè interpretari, quàm unum rectè intelligere:* ut ait Irenæus: quò fit, ut ultrò sibi caliginem offundant, inque errorum multiplicium scopulos graviter impingant. Joh. 11, 10. ut *quid affirmant, aut de quibus asseverent, ipsi non intelligant:* 1. Tim. 1. v. 7. sintque *instabiles* 2. Pet. 3. v. 16. tanquam *arenoso inadificantes fundamento* Luc. 6. v. 49. quippe qui ad *analogiam fidei & formam sanorum verborum*, nolint attendere, Rom 12 v. 6. 2. Tim. 1, v. 13. suis duntaxat *ωγενεµια* *κιν* & *ωεγενεµια* *κιν* indulgentes 1. Timoth. 5. v. 21. & *τη ιδία* *δραλυσσ*, ut ait Petrus 2. Ep. I. v. 20.

V. Neque verò nobis propositum est ex propria Agni Paschalis tanquam Sacramenti Veteris Testamenti naturâ, Eucharisticam decidere controversiam, sed ea saltem arcessere, quæ communem hujus utriusque sacramenti conditionem aperiant & declarant. Latissimus quidem nobis nunc aperitur campus differendi de dignitate hujus sacramenti, quam solennissima.



Iennissima ejus commendat institutio, & de multitudine ac varietate rituum, quibus Agni Paschalis celebratio olim erat adstricta: quos magno numero ad Eucharistiam nostram reduci posse extra dubium est. Verum nos ea tantum attingemus, & in quaestionem vocabimus: de quibus utroque citroque controversatur.

VI. Illa primò omnium sese hinc offert dubitatio, num Sacramento Agni Paschalis Cœna Domini successerit. Sunt enim, qui ad Mannam potiùs referendam putant Eucharistiam nostram, sibi que persuadent, manifestiora in hoc typo effulgere ἀναλογίας sacramentalis indicia, quàm ex solennitate Agni Paschalis: præsertim cum Apostolus in propriâ sede hujus argumenti, ubi comparisonem quandam instituere videtur inter Sacramenta Veteris & Novi Testamenti, nempe in 1. Corinth. 10. potus & cibi spiritualis, seu Mannæ, quâ sub Moyse cibati fuere Patres Veteris Testamenti mentionem tantum faciat. Quid? quod Pontificij Missaticum suum Sacrificium hinc constabilire soleant. Quia enim facilè ostendunt, Pascha Veteris Testamenti non sacramentum tantum, sed etiam sacrificium fuisse, inde sanè præsidij aliquid sese habere posse opinantur pro defendendâ Missâ.

VII. Non est opinor; quod huic quaestioni immoremur: siquidem paucorum est, & non multum ponderis habere videtur. Breviter dicimus, Eucharistiam Cœnæ legali finem imposuisse, & post eam continuò fuisse à Christo institutam; nec frustra ibi Paschatis toties ab Evangelistis fieri mentionem, imò intento ferè digito à Christo Pascha nostrum monstrari; dum ait: *Desiderio desideravi Hoc PASCHA edere vobiscum*: Quo respiciens Apostolus: *Pascha nostrum (inquit) immolatus est Christus*. Christus ergo noster est agnus Paschalis: cujus usum Israelitico sacramento analogū præcipuè in Cœnâ habemus. Adde circa sanguinem utrumque sacramentum insigniter
S s s occupari;



occupari; & utrobique redemptionem & liberationem sanguini adscribi: fines itidem proportionem sibi congruentissimam respondere, & modum celebrandi in multis convenire, denique quod caput negotij est, objectum idem, nempe Christum propositum Israelitis, ut mactandum; nobis ut mactatum in cruce: quæ & complura alia mysteria persequitur Augustinus Ep. 119.

VIII. Atque ut ipsius quoque institutionis parallelismus in utroque sacramento fiat conspicuus, hoc diagramma subjicere placet.

Jehovah. Exod. 12. 1	Christus.
Eâ nocte seu vesperâ, ib. v. 6. 8. 12. 18.	Eâ nocte
Accipite v. 5. 7. 18.	Accipite
Comedite v. 8. II.	Comedite
Agnus est pascha v. 11.	Hoc est corpus meum.
Victima pascha est Jehovah v. 27.	Hoc poculum est Novum Testamentum.

Esto vobis in monimentum, in signum. Hoc facite in mei commemorationem. v. 14 & c. 13. 9. 16.

IX. Similia diagrammata ex verbis Christi Joh. 6. & Pauli 1. Cor. 11. suo loco concinnabimus; eademque ex comparatione sacramentorum omnium tam Veteris quam Novi Testamenti erui sine negotio possunt imò debent, ut ex συγκρίσις quam Paulus nobis commendat 1. Cor. 2. 13. & συμβιβασμῶ, id est, collectione, quæ fit collatis argumentis, vel si vocis proprietatem spectes, partium omnium FIDEI ad fidem ipsam idoneam accommodatione Act. 9. 22. & ἑρμηνεύσις seu formam sanorum verborum 2. Tim. 1. 13. seu ὑγιαίνουσα διδασκαλία 1. Tim. 6. 3. & 2. Tim. 4. 3. ὀρθοτομία item, id est, peritâ sectione seu distributione verbi DEI 2. Tim. 2. 15. veritas illustretur & confirmetur: quæ unica certè & perpetua semper fuit ratio legitimæ interpretationis Scripturæ.

Liquet



X. Liquet autem ex his, quanta sit affinitas Sacramenti Paschalis cum Eucharistiâ: quam si ex Patrum sententiis nunc confirmare liberet, non facile exitum reperiremus. Certum siquidem est, Eucharistiam ab iis Pascha nostrum sapissimè cognominari: nec quisquam ex eis fuit, qui dubitârit, Agno Israelitarum Paschali Cœnam nostram successisse. Duo enim tantum agnoscunt sacramenta Veteris Testamenti sicut & Novi; circumcisionem; cui Baptismus; & Pascha, cui Eucharistia respondeat.

XI. Hinc Isaacus Causabonus Exercit. 16. nu. 53. p. 416. ex cap. 5. v. 7. Ep. 1. ad Cor. hujus nominis auctoritatem deducens, ostendit, & Christum ipsum vocari Pascha, & ab eo itidem hoc sacramentum, nixus multis multorum Patrum calculis, qui ostendunt, Pascha inter Christianos manducare eos, qui S. Synaxeos fiunt participes. Inter alios Isidorus Pelusiota libr. 14. Ep. 152. *Oportet, inquit, amantem virtutis esse eum, qui Pascha divinum & verum sit manducaturus.* Et August. contra literas Petiliani Donatistæ lib. 2. c. 37. *Aliud est Pascha, quod adhuc Judæi de ove celebrant; aliud autem, quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus.* Gregorio Nazianzeno cōmunicare Cœnæ Domini est *μεταλαμβάνειν τῆς πάσχα.* Quod latius proferens Chrysostomus serm. 88. Tom. 5. Christianos toties agere Pascha dicit, *quoties mortem Domini annunciant.*

XII. Iidem SS. Patres idè diligentes fuerunt in considerandis, & tum ex scripturis tum ex Rabbinorum Veterum scriptis investigandis atque eruendis ritibus Paschalis Agni: ut plerosque ex iisdem ad Cœnæ nostræ celebrationem traduxerint, persuasi Christum ceremonias illas veteres æmulatum esse, & institutione Eucharistiæ expressisse, ut liquet ex Paulo Fagio in paraphrasi Chaldaicâ in c. 8. Deuter. Scaligero de emend. temp. lib. 6. Munstero in Marci c. 4. Cassandro in Liturgicis c. 1. citante Mornæo, & ex iisdem eadem repetente



lib. 1. de missâ c. 1. p. 69. Verba Mornæi hæc sunt: Dominus noster post Cœnam panem accepit & benedixit: quod laudabilem illum Judæorum morem sapit, quibus solennis hæc in eo actu benedictio: Benedictus tu Domine Deus noster, Rex mundi; qui sanctificasti nos præceptis tuis, & mandatum dedisti nobis super esu azymorum. Fregit demum & dedit discipulis his verbis: Accipite, comedite, H. E. C. M. Judæis inter dandum hoc ipso loco dicere solitis: Hic est panis miserie, quem Patres nostri comederunt in Ægypto: qui esurit, accedat & comedat, qui opus habet, accedat & paschatizet. Ubi Dominus noster panem miserie Sacramentum facit Panis vivifici, Panis illius, de quo qui comederit, non amplius esurit. Sequitur Christum accepisse poculum & gratias egisse, demum distribuisse inter Apostolos his verbis: Bibite ex hoc omnes. Hoc utique poculum Judæis $\kappa\alpha\iota\ \tau\omicron\upsilon\ \rho\omicron\tau\eta\epsilon\lambda\omicron\nu\ \upsilon\mu\upsilon\eta\sigma\epsilon\omega\varsigma$ seu laudis, quod illi his verbis benedicere soliti: Benedictus es Domine, Rex seculi, qui fructum vitis creasti. Tum verò inter distribuendum unum ex illis Psalmis canere, quorum initium Hallelu Jab. At ut imposteriorum Sacramentum Novi Testamenti fiat, addit Dn. Hoc est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum: & juxta Apostolum in perpetuum Christianæ Ecclesie statutum: Quotiescung; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Christum deniq; D. N. narrant Evangelistæ, postquam cum Apostolis hymnum cecinisset, in montem Olivarum abiisse. Et hic procul dubio hymnus ille, qui in azymorum ritu solenni cœnam claudere solitus Psalmus, si ritualibus Judæorum libris fides, 114. & 115. In exitu Israel de Ægypto; & Non nobis Domine non nobis, &c. Hæc Mornæus, qui latius omnes Israelitarum ceremonias huc pertinentes exsequitur cap. 3. p. 101. & seqq. in 8.

XIII. De MANNA, quod Cœnæ potiùs respondeat, quàm Paschâ, quamvis ad præsentem controversiam id quod objicitur, non multum faciat, negandum tamen est: quia 1. Manna ordinarium & durable Sacramentum non fuit quamvis gratiæ



tia divina mysticum fuerit signum, 2. institutione caret sacramentali, 3. non coharet cum agno paschali, cujus abolitio S. Cœnæ fuit institutio, 4. Nullum monumentum cruenti sacrificii in Manna est, quod præcipuum caput est in Paschate, & Cœna, 5. Nec Mannæ mentio fit in primâ institutione, sed Paschalis. Ergo.

XIV. Quod ad objectionem attinet pontificiorum, qui ex eo, quod olim Pascha sacrificium simul & sacramentum esset, extundere atque exsculpere conantur propitiatorium suum, quod in Christi contumeliam quotidie iterant sacrificium: negant aliqui ex Nostratibus id quod supponunt pontificij. Ita enim habet Perkinsius Tract. de Cœnâ Tom. 1. Oper. p. 863. *Minimè omnium fuit sacrificium Agnus Paschalis, sed sacramentum duntaxat. Verum quidem est, quod Marc. 14. 12. dicitur: At primo azymorum, quo Pascha sacrificabant: nihilominus tamen & hoc notum est, quod vocabulum SACRIFICARE sæpiusculè idem quod mactare significet, puta cum Jacobus & Laban fœdus inter se inirent, tum dicitur ibi, quod Jacobus pecudes sacrificarit, & suos invitavit agnatos, ut comederent secum panem, Genes. 31. 54. Quæ sanè verba non in eum trahenda sunt sensum, quasi pecudes istas ad sacrificium mactarit, sed quod propterea interem erit, ut institueret convivium, cum Jacobus salvâ conscientia non posset admittere eos, qui extra fœdus Dei erant, quippe idololatriæ addicti.*

XV. Deinde agnus ille commodè dici poterat Sacrificium, quia in morem sacrificiorum mactaretur & interficeretur. Præterea cum Saul asinas patris sui quæreretur, & de Vivente interrogaret, tale ei responsum dabat quædam ancilla: *Festinans ascende in summitatem istam, est enim populo sacrificium in illâ. Hic festum solenne sacrificium vocatur.* Hæc ferè Perkinsius; Quibus addi potest absurdum, quod ex contrariâ sequitur sententiâ. Si enim sacrificium fuit Agnus Paschalis, quælibet multitudo & familia sacrificare potuit.



XVI Philippustamen Mornæus in Institutione Paschatis considerari vult & sacramentum & sacrificium. *Sacramentum quod Deus populo suo tradat in promissionis suæ exhibenda & complenda sigillum ac fides. Eo quippe sine, inquit, populo data sacramenta, seu sacra signa his nempe verbis: Erit sanguis vobis insignum in edibus, in quibus eritis: & videbo sanguinem, ac transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens: quando percussero terram Ægypti. Sacrificiū, quod populus Deo offert. Sunt enim propriè sacrificia populi ad Deum, ut sacramenta Dei ad populum. Cum dicit: Habebitis hunc diem in monumentum, & celebrabitis eam solennem Domino in generationibus vestris: cultu sempiterno: victima transitus Domini est, quando transiit super domos filiorum Israel in Ægypto. percutiens Ægyptios & domos nostras liberans. Hæc ille.*

XVII. Verum enim verò ut ut largiamur, Agnum Paschalem olim fuisse sacrificium; minimè tamen sequitur in Novo Testamento ullum propriè dictum sacrificium *ἱλαστικόν* reperiri aut requiri. Quod ipsum satis ibidem innuit Mornæus, quando subjungit, Agnum illum à Patrefamilias oblatum Eucharisticum quidem sacrificium fuisse, imò etiam propitiatorium, sed non alià ratione, quàm quatenus Agnum præfigurabat pro domesticis fidei immolandum, Agnum illum, qui tollit mundi. Joh. 1.29.

XVIII. Falsus est itaque Gregorius de Valentia, qui ægrè ferre dicit Hæreticos, quales nos vocare solet, quod ceremoniam illam Agni Paschalis hujus Sacramenti figuram constituent Missifices, Missarumque Architecti & patroni: *Dolet istis. inquit, quod ex collatione hujus figura cum veritate probemus etiam rectè in ceremonia hujus Sacramenti oblationem & sacrificium à nobis fieri sicut sacrificabatur quoque ille agnus.* Hæc ille disp. 6. quæst. punct. 2. Tom. 4. p. 912. quem par erat dolere & plangere ob sacrilegam Romanensium suorum cæcitatem crucifigentium sibi denuò filium Dei, Hebr. 6, 6. atque ita gratificantium Babylon.



byloni, in qua, ut est Apocal. 11. 8. *Dominus noster crucifigitur.*
 At nobis constat, Christum quod peccato mortuus est semel,
 mortuum esse, quod autem nunc vivit, Deo vivere, Rom. 6.
 10. introivisseque in sanctum sanctorum per proprium san-
 guinē ἐφάπαξ: æternā (NB.) redemptione inventā, Heb. 9. 12.
 XVIII. Tantum itaque abest, ut figuram Paschatis respu-
 amus, ut eam potius quasi in succum ac sanguinem sententiæ
 nostræ convertamus: sicuti ex diagrammate paulò ante à no-
 bis proposito patuit. Imò ut planè liberales nos declaremus
 erga Adversarios, prostitemur ipsi quoque & docemus, variis
 olim & multiplicibus typis hoc Sacrum Eucharistiæ myste-
 rium fuisse præfiguratum: quorum hic esto Catalogus: 1. *Melchisedech proferens panem & vinum*, & benedicens Abraha-
 mo. Gen. 14. v. 18. 19. 2. *Manna* Exod. 16. 3. *Panes proposi-
 tionis* Exod. 40. 21. Lev. 23. 17. 4. *Panis primitiarum.* Exod. 23.
 5. *Panis subcineritius* Eliæ. 1. Reg. 19. 6. 6. *Calix salutis.* Psal. 116.
 4. Psal. 23. 7. 7. *Vinum*, quod miscet Sapiencia, Prov. 9. 5. di-
 cens: *Venite & comedite panem meum, ac bibite vinum, quod miscui
 vobis.* 8. *Sanguis uvæ*, de quo Jacob Patriarcha. Genes. 49. 11.
 9. *Sanguis denique Testamenti*, ad quem respiciens Christus
 in verbis Institutionis: *Hic est*, inquit, *sanguis Novi Testamenti*,
 cum Exod. 24. v. 8. dicatur: *Hic est sanguis Testamenti quem mi-
 sit ad vos Deus.* Hi & consimiles alii typi passim à Doctores
 Ecclesiæ enubillantur, nec possunt nobis displicere ingeniosæ
 & ad Scripturarum opulentiam ostentandam fructuosissi-
 mæ uberrimæque eorundem commentationes.

XIX. Restat ut sententiam Orthodoxam ex comparatione
 Baptismi cum Sacramento Eucharistiæ deducamus & decla-
 remus: qua utimur eò libentiùs & crebriùs, quò clariùs illa
 radiat & coruscat: præsertim cum ipsa Scriptura utrumque
 Sacramentum haud rarò conjungat, ut patet in primis ex
 1. Cor. 12. 13. *In unum omnes corpus baptizati sumus, & in unum
 Spiri-*



Spiritum potati. Vide 1. Corinth. 10. vers. 2. 3. 4. Ephes. 4. vers. 4. 5.

XX. Si de similibus idem est iudicium, ut docet Logicus: certè non exeunt hunc ictum Realistæ, quin eo graviter feriantur & vulnerentur. Quid enim evidentius illâ, quam Christus cum Nicodemo habuit, disputatione? ubi hominem carnalibus fascinatam cogitationibus ob mentionem novæ generationis à proprietate Logicâ vocis *nascendi* avocavit, & ad Spiritum deducit, culpaturque quòd cum Magister audiat in Israel, ad cœlestia mentis oculos attollere non possit. Planè sicut se habet realis corporis Christi in ora vescientium ingressio, & ipsa *manducatio*, si vocis proprietatem spectes, quam urgent Con- & Transsubstantiantes: ita se habet ingressus hominis adulti in uterum suæ matris, & nativitas realis per egressum ex eadem alvo maternâ: par utrobique absurditas, & par impietas Adversariorum in rebus tam apertis voluntariâ seipsum cœcitate multantium, & veritatem manibus pedibusque à se repellentium.

XXI. Non est tamen nimis mirandum, Nicodemum impigisse in verba Domini, quibus ei nuntiabatur nascendum esse denuò: dum enim cogitaret novam generationem homini jam producto & ætatis ad eò provecæ, hæsitavit. Id autem valdè mirum est, nostros homines, quamvis toties monitos, tamen cæspitare in viâ tam planâ & tritâ, & præcipitio tanti erroris involvi. Interpretantur illam generationem novam & nativitatem spiritualem esse, cur idem non faciant in Eucharistiâ? cur ad spiritualem manducationem non attendunt? cur parant dentes & ventrem? cur non interiori hominem pasci, prout in Baptismo nasci, credunt nobiscum atque confitentur? quæ & quanta vanitas clamare nuda relinqui signa, nisi res signata sit in signo realiter, & organo corporeo accipiatur? Ergo nuda & vos habetis signa, o
Realistæ



Realista, in Baptismo: quia ne ipsi quidem sanguinem Christi substantialem in aquâ carnem abludente aut corpori adpersa contineri, vel adesse creditis? Quanta impietas Christum canibus & porcis subjicere, id est, infidelibus & hypocritis, ut ore tantum & stomacho sit opus, quo transglutiat, quo in viscera transjiciatur? Similia multa, quæ Antagonistis omnem etiam colorem excusationis adimunt, ad liquidum relucet in *conyugio* utriusque Sacramenti Novi Fœderis.

XXII. Qui hic partes essentielles seu substantiales fingunt, ex quibus tanquam ex corpore & anima hominem, sic ex pane & carne Christi Sacramentum constare volunt, tam arcta cōnexionē, ut etiam ad conjunctam participationem incredulos admittant, sibi pedicas ponunt, quibus ipsi irretiuntur & corruunt. Non enim possunt ostendere, quomodo istæ, quas vocant, *substantiales partes* Baptismo conveniant: cum tamen omne Sacramentum duabus rebus constet, cœlesti & terrena. Rectius a. facerent, si scripturas scrutarentur, & Sacramentum quodque ex alterius natura eo, quo supra dictum est, modo, æstimare ac metiri discerent. Sanè uti de Baptismo dictum est Act. 2. 38. *Baptizetur unusquisq; vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum:* Ita de S. Cœnæ mysterio: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum:* De illo: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei* Joh. 3. v. 3. 5. De hoc: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* In illo induimus Christum, baptizamur in ipsius mortem, confirmamur de resurrectione, regeneramur, renovamur, sanctificamur, salvamur, mundamur, Coloss. 2. 12. Rom. 6. 3. Gal. 3. 27. Tit. 3. 5. Ephes. 5. 24. In hoc manemus in Christo, vivimus per Christum, in vitam æternam educamur, Joh. 6. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 64.

Ttt

Pares



XXIII. Pares igitur hic sunt effectus, qui & ab eadem potentia proficiuntur, & ad eundem finem tendunt: cur imparia Sacramenta, cur diversæ naturæ censeantur? Baptismus est *aspersio sanguinis Christi*, ut ait Petrus 1. Ep. 1. 2. cum tamen aqua tantum aspergatur, sed quæ nos operante Spiritu S. in regenerationem, peccatorum remissionem, & salutem abluat: Sicut panis & vinum eodem operante spiritualis nutritionis organa sunt, animab. nostris carnē & sanguinē Christi exhibentia.

XXIV. Patribus proinde nihil familiarius est, quàm à S. lavacro ad S. Cœnā argumentari, naturā Eucharistiæ ex Baptismo declarare, utrumq; juxta æstimare, in eundem censum referre. Infinita sunt quæ hic possent accumulari, eaque maximè perspicua: nos præcipua saltem delibabimus;

XXV. Synodus Nicæna prima apud Gelasium Cyzizen. parte 2. in cap. *Ἀποπόστο.* de S. Baptismo: *Baptisma nostrum, inquit, non oculis corporis considerandum est, sed mentis.* Et in continenti de S. Cœna. *Iterum etiam hic in divinâ mensâ ne humiliter intenti sumus ad propositum panem & poculū.* Ubi in græco est *πάλι*: quod consequentiam denotat, Rursum: *Aquam vides, considera virtutem Dei in aquis absconditam. Plenas sanctificatione Spiritus & ignis divini aquas considera.* Rursum: *Attollentes mentem fide intelligamus situm in S. illâ mensâ agnum illum Dei tollentem peccata mundi incruente à sacerdotibus immolatum, ἀθύρωσ θύορρον.*

XXVI. Tertullianus de resurrect. carnis c. 8: *Caro abluatur, ut anima emaculetur. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut anima Deo saginetur.* Gregorius Nyssenus Orat. de S. Bapt. *Ne cõtēmnas divinum lavacrum, neq; id tanquã commune propter usum aqua parvi facias & levi momento ducas.* Et paulò post: *Panis item panis est initio communis, sed ubi eum mysterium sanctificaverit, corpus Christi & dicitur & est.*

XXVII. Cyrillus Hierosolymitanus in præfat. Cateches. ad Catechumenos. *Ex usu, inquit, harum aquarum τῶν χριστοφόρων Christum ferentium prosperitatem habebitis.* Idem ad eosdem Ca-

recheſi 4. *Santo corpore & ſanguine Chriſti* *Χεῖροσφόρου ζωοποιήσε*
Chriſtum ferentes erimus, cum eius corpus & ſanguinem in membra
noſtra receperimus. Et ſicut de S. Cœna dicit: Ne e. conſideres tan-
quam panem nudum & vinum nudum. Ita & de Baptiſmo: Non tan-
quam aqua ſimplici ſtudeas huic lavacro, ſed ut ſpirituale gratia, que
cum aqua datur. Nec revera tamen morimur, non revera ſepelimur,
nec verè cruci affixi ſumus, ſed in imagine tantum noſtra eſt imitatio,
in veritate autem ſalutis aſſecutio. Chriſtus verè crucifixus eſt, verèq̃
ſepultus, & verè reſurrexit, & hac omnia nobis donavit. Ut cum imi-
tatione paſſionibus eius communicaverimus, revera ſalutem lucrè-
mur. Hac ille Catech. 3.

XXVIII. Chryſoſtomus ad popul. Antioch. hom. 60. de S. Cœ
na loquens: *Nibil ſenſibile, inquit, nobis Chriſtus tradidit, ſed res*
quidem ſenſibiles, omnes a. intelligibiles. Et mox: *Itidem & in ba-*
baptiſmate: Per rem nempe ſenſibilem unam cōfertur: Intelligibile verò
quod perficitur, generatio eſt & renovatio. Idem hom. 51. Quando
ſacerdotem corpus tibi præbere videris, noli ſacerdotis, ſed Chriſti ma-
num ad te porrigi arbitrari. Nam quem admodum in Baptiſmo non à
ſacerdote baptizariſ, ſed à Deo caput tuum in virtute viſibili tene-
tur. non ab Angelo: Ita etiam nunc.

XXIX. Aug. Ep. 23. ad Bon. *Sicut ſecundū quendam modū Sacramentū*
corporis Chriſti corpus Chriſti eſt: Sacramentum ſanguinis Chriſti
ſanguis Chriſti eſt: Ità Sacramētum Fidei (i. e. Baptiſmus) Fides eſt.
XXX. Cyrillus Alexandr. in Eſaiam lib. 1. Orat. 2. *Etenim nos qui*
per fidem ad ſanctificationem vocati ſumus, panem habemus, panem,
inquam, de cœlo, b. e. Chriſtum. Similiter etiam recepimus per Spiritū
S. Baptiſmi gratiam, qui ſanctificat nos, vimq̃ aquæ dicimus eſſe pecca-
torum abolitionem, regenerationem ſpiritualem, ut ipſi Chriſto con-
formes ſimus. Id. in Joh. lib. 12 c. 36. Chriſtus & à Chriſto baptiſmus
& benedictionis myſtica virtus à ſancta ejus proſluit carne.

XXXI. Epiphani. cōtra hæreſes lib. 3. T. 2. *Fortis facta eſt in Chri-*
ſto virtus panis & fortitudo aquæ. Theodoret. in c. 5. Ep. ad Ephes:



Christus dat Ecclesie suum corpus & sanguinem : Quia membra sumus corporis ejus. Cum eo enim in Baptismo consepelimur, & una cum eo resurgimus, & corpus ejus comedimus, & sanguinem bibimus.

xxxi. Iſidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 195. Natura nostra per Baptismum in adoptionis jus adducta est & justificata, & unigeniti coheres effecta per sacrorum & mysteriorum perceptionem concorporea ei redditur, & in carnem ejus censetur. Id. de S. Coena lib. 2. Ep. 228. Communio vocatur divinorum mysteriorum participatio, quia largitur nobis unionem cum Christo, & consortes nos facit ejus regni.

xxxiii. Leo serm. 14. Dum renunciatur Diabolo & creditur Deo, dum in novitatem a vetustate transitur, dum terreni hominis imago deponitur, & caelestis forma suscipitur, quadam species mortis & quadam similitudo resurrectionis intervenit, ut susceptus a Christo, Christumque suscipiens non idem sit post lavacrum, qui ante Baptismum fuit, sed corpus regenerati fiat caro crucifixi. Haec commutatio, dilectissimi, dextra est excelsi, qui operatur omnia in omnibus. Non aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quam ut in id, quod sumimus, transeamus: & in quo mortui & consepulti & conresuscitati sumus, ipsum per omnia & Spiritu & carne gestemus, dicente Apostolo: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

xxxiv. Can. Utrum; de consec. dist. 2. Nunc autem sicut ipse est qui baptizat, ita ipse est, qui per S. S. hanc suam efficit carnem: Ut quia nos jam similitudinem mortis ejus in baptismo accepimus, similitudinem quoque carnis & sanguinis sumamus. Haec ex Ambrosij lib. 4. de Sacram. c. 4. deprompta sunt.

xxxv. Agmen claudat Aug. citatus a Beda in I Cor. 10. Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum Christi efficitur: Nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiam si aequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus, abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando in ipso hoc, quod Sacramentum significat, invenitur.




617.

di

m-

22.





30.
29

DISPUTATIO
E U C H A R I S T I C A

Continens

UBERIOREM

DECLARATIONEM FVNDAMEN-
TI SECUNDI ORTHODOXÆ SENTEN-
tiæ petiti ex natura communi Sa-
cramentorum.

Quam

Annuente SS. Triade

In inçlytâ Electorali Viadrinâ

SUB
PRÆSIDIO

